

Weichbild magdeburski w układzie śląsko-małopolskim.**Tekst oficjalny**

Commune incliti Poloniae Regni privilegium constitutionum et indultuum publicitus decretorum approbatorumque, ed. I. Lascius, Cracoviae 1506, k. 184v–185

Odczyt: Maciej Mikuła

Artykuły 59 [Gn. 53]

[59] De accusatione viri pro vulnere, aut alio crimine manifesto, ad iudicium clamore deducti, quomodo procedendum sit contra eum.

Si vulneratus vir cum clamore ad iudicium decuctus fuerit in facto manifesto, et si ita imbecillis aut debilis fuerit, quod per tutorem ipsum querulari oportet et prolocutorem per sententiam petat, extunc tali modo sua procedat querimonia: „Domine iudex, si me huic vulnerato dedistis pro advocatione, extunc in sententia requiro, si propter iusticiam insidias [k. 185] propter aliquem pati debeam, quam iure teneri debeam aut sustinere, cum suam causam propter iuris exigentiam teneo”. Cui diffinitur, quod non, denique sibi petat correccionem. Cum obtinuerit correccionem, tunc petat colloquium pro consilio, cum vero habuerit colloquium, tunc requirat, qualiter inchoare debeat per sententiam diffinitivam, ut sibi proficiat in suo iure. Tandem diffinitur sibi cum clamore. Tunc interroget sententialiter, si requiri debeat de ore ad os, a quo suam habeat lesionem. Tunc sibi diffinitur, quod debeat. Extunc emittuntur duo scabini et cum ipsis preco, aut duo viri, qui iudicio astare consueverunt, qui ab ipso solo audiant, a quo receperit vel habuerit damna, aut quis in eo pacis federa confregerit. Extunc requiritur sententialiter, et requiri debeat circa iuramentum prestitum aut ius civitatis, quid ab eo audierunt. Tunc unus interrogatur ad dicendum, quid ab eo audierint. Audita responsiva, posthac in sententia requiratur, si sibi profecerit, tunc sibi diffinitur, quod sic, eciam secundus et tertius interrogetur. Extunc sibi diffinitur, quod sibi profecerit, postea querelam incipiat: „Domine iudex, placeat attente audire”. Tunc hic N. conqueritur super unum N. et super I., quod ipsi venerunt intra municipale, et in eo pacem infregerunt, et ipsum vulneraverunt aut suum affinem proximum trucidaverunt, si homicidium fuerit, et ipsum spoliaverunt corpore et rebus, et pro eo iudicium petit. Extunc illi ter vocantur, quando vocati per clamorem ter fuerint, tunc conqueritur ulterius et nominet malefactores, ut prius querulatum fuit. Idem faciat tertia vice. Extunc inducie dantur per noctem. Si tunc non conparent, inscribantur. Si autem conparent, duellum in eis acquiri potest.

[hasła: zranienie, sąd, wyrok, skarga, sędzia, sprawiedliwość, posiedzenie, ławnik, szkoda, przysięga, prawo, zabójstwo, kradzież, zranienie, otrucie, noc, pojedynek sądowy]